



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Utrum omnes, qui justè & licitè cooperantur ad prolationem sententiæ sanguinis seu mortis, vel ad executionem illius, sint irregularem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO IV.

De Homicidio publicâ auctoritate à iudice & eius ministris, & irregularitate ex eo contracta.

§. I.


Virum omnes, qui iuste & licite cooperantur ad prolationem sententia sanguinis seu mortis, vel ad executionem illius, sint irregulares?

Quod ex iusta etiam, & licita homicidii occasione, per iustam sententiam iudicis facta, publica auctoritate, quamvis nullum crimen interveniat, sed actus sit iustitiae vindicativae, irregularitas, quam vocant ex defectu lenitatis, contrahatur, certum est, eod quod iudicet Ecclesia, non posse latis lenitatem, & mansuetudinem Christi, summi Sacerdotis, representare eum, qui tali etiam iuste occisioni ex officio cooperatur, ut adeo hæc irregularitas non tam sit pœna, ob culpam aliquam præcedentem, qualis nulla est in tali casu administratæ ex officio iustitiae vindicativæ, sed macula aliqua moralis, & inhabilitas ad ministerium altaris ob defectum mansuetudinis.

Incurrit autem hanc irregularitatem ex defectu lenitatis, imprimis Iudex, Summo Pontifice inferior, sive Clericus, sive Laicus ille sit, qui fert sententiam mortis, aut præcipit, talem determinatè morte puniri, modo effectus sequatur. can. 1. dist. 51. juncta glossa K. ad Sacerdo-

tium c. Ex litteris 10. de excessib. Prælat. Deinde Assesores, Consultores, Notarii, & omnes alij, qui cum Iudice concurrunt ad ferendam mortis sententiam, vel ad ejus executionem, non autem, qui delegat tantum jurisdictionem criminalem in genere, ad cognoscendas omnes causas criminales, vel etiam in specie ad cognoscendam hanc causam v. g. homicidij, &c. (quo modo Prælati Ecclesiastici delegare criminales has causas cognoscendas solent, qui per delegationes tales aliud non intendunt, quam iustam gubernationem, sive exercendam iustitiam) aut qui remotè valde ad talem iustam punitionem cooperatur; & hinc opifices, qui gladios carnifici conficiunt, aut funes, vel qui furcam fabricant, scalam, aut ligna attulerunt &c. ad suspendendum, vel comburendum, vel plectendum reum, non sunt, ex hoc capite, irregulares, cum nimis remotè, & non ex officio concurrant.

Inquisitores tamen hæreticæ pravitatis, alij Iudices Ecclesiastici, qui reos de crimine convictos, tradunt curiæ sæculari puniendos, non incurrunt irregularitatem, etiam si ultimo supplicio hi puniantur (cum nec ipsi sententiam mortis in eum pronuntiant, nec Iudici sæculari jurisdictionem ad hanc inferendam tradant) modò pro eis efficaciter intercedant, ut citra mortis periculum puniantur, ad ostendendam mansuetudinem, & iustitiam Ecclesiæ, quæ ira permittit iustitiam vindicativam, ut lenitatis convenientis non obliviscatur.



§. II.